

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Caspar Mauritius Georg Wosegin

## **Disputatio Physica De Vita Et Morte**

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729617386>

Druck Freier  Zugang



Rupke 1645  
Caspar Mauritiüs  
Georg Woegau



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729617386/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729617386/phys_0002)

DFG

DISPUTATIO PHYSICA  
De  
**VITA ET MORTE,**

*Quam*  
**Divino favente Numine**  
prælectionibus privatis


*CL. VIRI*  
**DN. M. CASPARI MAURITII,**  
Log. Prof. Publ.  
*Superstructam*  
**EODEM PRÆSIDE**  
*Publica ventilacioni submittit*  
**GEORGIUS WOSEGIN,**  
Regimont. Borussus.

*Habebitur ad diem 10. Maii,  
in Auditorio Majori.*



**ROSTOCHII,**  
*Typis NICOLAI KIELI, Acad: Typographi.*  
**ANNO M. DC. XLV.**





## DEO Duce!

### THESIS I.



Ulemadmodum ex Materiæ Primæ productione infinita DEI potestas: ita ex Formarum mirandâ varierate consummatissima DEI sapientia reluet.

### II.

Formam dicimus alteram compositi partem, principium operationum unicuique speciei debitatum, quæ plenè constituit perficit & absolvit substantiam naturalem, cuius Materia rudis tantum inchoatio est & fundamentum.

### III.

Forma enim in universam materiæ jungendæ essentiam illapsa; seseque insinuans totam se Materiæ dat exhibet; quam rem tribus diversis vocibus exprimunt recentiores Philosophi, vocantq; *Unionem*, *Informationem*, *Actuationem*, quæ eundem realem modum inhæsionis Formæ in materia connotant, diversa ratione à nobis conceptum.

### IV.

Quanquam verò unionis vox sàpè pro ipso actu unitio[n]is capiatur, qui à Forma est, sibi applicante & uniente materiam, nobis ramer in posterum non erit de actu sermo, sed de formalí (ita loquuntur) termino unitio[n]is, seu ipsa Unione, ipsoq; inhærenti modo permanentis in facto esse, ipsoq; vinculo atq; nexus duorum extremorum Materiæ & Formæ.

### V.

Non enim est duplex unio comminiscenda, altera materiæ, altera formæ: Una est utrinque; extremorum unitorum, Materiæ & formæ.

### VI.

Atq; haec Unio modus est non accidentalis, qualis inter argentum & aurum poculi intercedit, sed essentialis, suppositalis & in naturâ

humana Personalis: dum ex materia & forma emergit unum Essentia;  
ex corpore organico & Anima unum suppositum vel una persona,  
eaq; per se una, non per accidens.

### VII.

Eadem unio cum animatis competere deprehenditur, Vita di-  
citur, quam cum opposita Morte nunc contemplandam, causasq; qui-  
bus utraq; continetur, indagandas suscepimus.

### VIII.

Vita non raro facultatem animæ designat, frequentius actum  
vitalem, nutritionem, sensionem, intellectuionem, imo ad alia quoq;  
significatio ejus extenditur: non enim unam rem Theologis, Jure-  
consultis, Philosophis notaç..

### IX.

Nobis vita nihil est aliud, quam unio animæ & corporis.

### X.

De unione, quantum sat est, diximus: inde patet, principium  
vitæ Animam esse, quæ potentiam habet materiam secum conjungen-  
di, & vivificandi, quæq; vitali facultate inseparabili & propria tam in  
genere, quam in specie nutritiva, auctiva, generativa, sensitiva,  
motiva, appetitiva, intellectiva pollet, quarum exercitium per corpus  
ceu per organon absolvitur.

### XI.

Ut autem hæc animæ cum corpore conjunctio seu unio dureret  
necessum est corpus debito modo affectum esse, nec disturbari pror-  
sus temperiem caloris nativi quem vocant, & humidi radicalis seu pri-  
migenij: quod alterum est vinculum, ipsam unionem, adeoq; ipsas, ne  
dirimantur, partes continens.

### XII.

Caloris nomine nativi non eum modo, qui ab ortu substantie  
animatae singulis partibus inest, sed illum quoq; complectimur, qui in  
animantibus ex corde velut fonte in singulas partes influit (unde influ-  
ens dicitur) ut cuiusq; membris calorem foveat, suoq; affluxu instauret.

### XIII.

Ab hoc parum differt spiritus nativus vitalis, qui itidem vel fixus  
est, quæra ipsa Animi corporis primordia habent vel influens, qui in  
ani-

animantium corde generatur, & per universum corpus diffusus reparat amissa.

XIV.

Per humorem quoq; radicalem intelligimus tum insitum & primigenium, qui ipsi semini inest, implantaturq; solidis partibus: tum influentem, qui ex alimentorum benigniori succo progenitus reparat, quod calor depascitur & absimit.

XV.

Utriusq; tam calofis quam humidi certe constituuntur proprietates, per quas fit, ut vita continua seu duratio in aliis protensior in aliis contractior sit.

XVI.

Calorem oportet esse blandum, qualis est cœlestium corporum, non ita acrem & voracem, qualis noster sanguinis seu focalis est. Sanguineis potissimum tribui calor ille blandus & dilutus solet, qui præterea magis vivaces esse statuuntur cholericis, quorum calor magis malignus: his minus esse vivaces creduntur Phlegmatici, propter defecatum calidi nativi & humidi abundantiam: minimè omnium vivaces sunt melancholici, quippe frigidi & siccii.

XVII.

Humorem oportet esse lentum, viscidum, bene compactum & instar olei. De humoris bonitate inde capere conjecturam licet, quod, quæ magis oleosum atq; durabile humidum habent, tardius succrescent. Causam diximus, cur plantæ vivaciores sint animalibus, & in his aquaticis terrestria durabiliora & inter ea durabiliora sanguinea; item cur durabilior sit & vivacior masculus sexus.

XVIII.

Ad conservandam interioretem temperiem, adeoq; procurandam longitudinem vitae vel brevitatem plurimum faciunt causæ externæ, quæ in duplice classe: aliæ substanciales sunt, aliæ accidentales.

XIX.

Substantialium prima est Aër ambiens, qui cum corpora viva, si vel computruit, vel nimis incaluit aut frigefactus est, sicarij instar carpat, spiritumq; calidum & vitalem lœdat, ita temperatus esse debet, ut moderatè calidus sit, purus etiam & quasi ventilatus.

A 3

XX.

## XX.

Quin frigoris quoq; levem excessum calorem internam constipare, ad centum agere & compingere, atq; hoc pacto robustiora & magis vivacia corpora reddere experientia testatur, quæ septentrionales non arbores tantum, sed & pecudes, immo homines ipsos benignioris temperamenti & ætate magis provehit, quam meridionales docet.

## XXI.

Deinde purum quoq; oportet esse, nec infectum cadaverum multitudine, aut factore latrinarum, sterquiliniorum, sentinarum vel aliis fecibns contagiosis, minimè omnium palustrem, cum testetur experientia, nebulis hinc ortis Spiritus bestiarum palustrium venenatos misceri, sparsosq; in corpora fatus pestilenti quadam vi calorem nativum perimere.

## XXII.

Inter Substantiales Externas secundum est Alimentum, quod à calore innato subactum in sanguinem & vires transit, quodq; humorem à spiritu calido absuntum, ipsum quoq; calorem restituit.

## XXIII.

In cibo I. delectus est habendus, tum ne assumatur, quod alienum prorsus est à corporibus nostris, ut venena, tum ne quavis ætate & quovis anni tempore quidvis ingeratur. Infantulis enim & senibus v. g. offerendum alimentum boni & concoctu facilimi succi, & subinde novum concocto surrogandum: aliter cum ætate robustiori & confirmata agi debet.

## XIV.

II. Utendi ratio est attendenda, quæ in tribus spectatur, *in justa quantitate cibi & potus, in temporis oportunitate, & deniq; in alimento preparatione & assumendi ordine.*

## XXV.

Non ergo in cibo potuve modus prorsum negligendus, quæ res opprimit, non reparat: nec ætate tantum cibi nobis permittimus, quantum hiems indulget, quæ calorem interius pellit melius tunc omnia concoquentem & digerentem. Contra ætate amplius nonnihil bibendum ob aeris siccitatem, quæ magis sicculosos reddit: hiemi convenit mercurius, ut externo frigore torpentina membra refocillentur. Quia ætatis magna est & consuetudinis ratio habenda, Dum non modo

modo autem, sed crescimus quoq; plus alimento jure merito requiri mus: quod iij quoq; faciunt, qui concatenatis laboribus ætatem exercent suam. Motus enim vehemens frequensq; v. g. fabrorum, agricolarum, brevi exhaustit humores ac spiritus, ut nisi his jentaculo quoq; & merenda succurratur, non diu sint eorum vires duraturæ. Tandem consuetudinem non esse præcipiti mutatione frangendam, cum progressu temporis in naturam vertatur, nemo est qui ignorare possit.

## XXVI.

Deinde tempus assunzioni alimentorum oportunum deliginoti tantum, verum etiam rigidè observari debet. Sex horarum intervalum tribus concoctionibus alijs assignant, ut prandij hora sit undecima, sexta coenæ vel prandij hora io. & quinta Coenæ: alijs septem, & sextam coenæ, decimam prandio tribuere jubent. Consuetudini nostræ hic primas damus, quam laudabilem arguit decursus sex horarum spatio consummata fames. Sed hæc variant pro ratione ætatis, regionum, officij & similium. Porro majus intervallum inter coenam & prandium esse debere ratio svadet. Neq; enim somno per se concoctio promovetur, quia potius autor cruditatis somnus est, cum motum corporis quo augetur calor, impedit, & materiam subministret pituitæ in capite, pectore, ventriculo colligendæ, in qua solvenda & percoquenda multum virium calor naturalis impendat oportet. Horis ergo matutinis ad prandij tempus concoctio tum humorum alimentariorum, tum coagulatæ pituitæ perficiatur.

## XXVII.

Quæri solet, an coena cibi potusq; quantitate prandium superare debet? Quod multi affirmant. Nos, cum eandem famem sitimq; sub tempus coenæ sentiamus, si motus corporis præcedat, eandem quoq; quantitatem esse debere hinc concludimus. Nec desunt, qui queis major motus coenam, quam prandium antecedere assolet, minorem quantitatem in prandio quam in coenâ svadeant, ut expeditiores numerum nostrorum sint functiones à prandio, & somnus à coenæ liberalitate commodior obtingat.

## XXVIII.

Tandem alimentorum quoq; præparatio observanda venit, & eductænsi ordo. Multum enim refert, ne ea, quæ tardius concoquuntur,

q̄vuntur, prius comedantur illis, quæ facile subiguntur, ut sunt juscula, quæ præmitimus solidioribus cibis. Hic cavendum, ne varietate ci-  
borum intemperiem nobis accersamus. Fastidientiū stomachi est dicen-  
te Seneca, multa degustare: quæ ubi varia sunt & diversa, inquinant,  
non alunt. puta turbulentā &c inæquali coctione.

## XXIX.

Tertium inter causas conservantes temperiem externas substan-  
tiales est Excrementum. Quod si lotium retineatur, morbos, imò mor-  
tem quoq; accelerat. Venter suppressus parit inflammations, & pitis  
dolores, aliaq; mala.

## XXX:

Ad excrementa semen referri quoq; solet, cuius retentio incom-  
modare validis præsertim corporibus non parum potest. Multo autem  
magis nocet Venus modum supertressa, qui frequentior his temporibus  
est morbus.

## XXXI.

Immoderata enim Venus calorem æquo plus adauget in jecore &  
renibus: & ob meatus patentiores tē solvit spiritus in corde, cerebro &  
stomachq;. Hinc in jecore sanguis q̄ nimis fit biliosus; in renibus ori-  
etur nephritis: In corde & artubus palpitatio & hinc animi deliquium:  
à cerebro, catarrhi; in stomacho cruditas, unde varix obstructions. Ut  
nihil de oculis dicamus, qui distentis alibi spiritibus, damnum capiunt,  
ut tunicae indurentur, & meatus vix pervij flant.

## XXXII,

Ad excrementa pertinet sudor, eandem, ut loquitur Medicorum  
pariter & Philosophorum princeps, & materiam habens, & generationū  
modum ac urina. Ulterq; enim generatur ex eo, quem bibimus homore cale-  
facto incorpore & biliose aliqd substantiæ adepto. Attamen sudor magis  
est elaboratus, quia transmissis partibus omnibus ad cutem uq; pervenit.

## XXXIII.

Ultimum inter excrementa locum obtinet quod ex spiratur. Est  
vero efficiissimum tuendæ corporis temperiei instrumentum Spiratio,  
quæ duplex, ἀδηλός seu insensibilis, quæ perspiratio dicitur, & per oc-  
cultos fit corporis meatus seu poros: alia sensibilis, quia conspicui sunt  
ejus ductus nempe per os & nates, quæ respiratio dicitur.

## XXXIV

### XXXIV.

Respiratio gemina vi absolvitur, Inspiratrice & Exspiratrice ut de inspiratione obicit aliquid moneamus, conjungendum cum iis quæ de aëris dispositione suprà dicta sunt, Inspirationem fieri oportet, ut refrigeretur calor frigore aëris perasperat arteriam recepti. Unde, quo major est cordis calor, eò animal frequentius respirat: quæ causa est, cur ranæ & pisces minores vcl parum vel non egeant refrigerio. Aliud autem de majoribus piscibus dicendum, qui natando aut luctando vehementer se commovent, & sœpe excandescunt.

### XXXV.

Neq; tantum naturali refrigerio per respirationem calor cordis, ne conflagret corpus, retunditur atq; temperatur: per alimenta quoq; frigida & vapores frigidos spiritui nostro calido egregiè consuli potest. Præter hos respirationis usus, alias quoq; videtur esse, nimirum, ut spiritum vitalem & animalem aër haustus nutriat. Non enim hi spiritus ex solo generantur sanguine, sed aerem quoq; admixtum habent. At qui ex quo quid constat, eodem nutritur.

### XXXVI.

Exspiratio præstat, ut purior sit spiritus vitalis. Nam absq; exspiratione fore, fuligines cor suffocarent: cuius exemplum suggesterunt strangulati. Atq; inde est, quod morientes validius exspirant, propter copiam scil. fuliginum, quibus gravantur, quando inspirant.

### XXXVII.

Insensile, quod transpiratur, partim per os & nares abit, partim per poros quibus cutis undiq; pertusa est. Per os exiguum quid exspiratur: sed per poros, si v. g. de die adsumtus sit cibus octo librarum, transpirabitur ut plurimum plus minus libris quinq;.

### XXXVIII.

Per poros eadem, quanquam gradu dispari præstat perspiratio, quæ respiratio. Nam & in perspiratione tria efficit aër circumfulsus, refrigerat, pabulum præbet, recipitq; fuligines. Præterea obstructis poris, aut oppletis v. g. oleo inuncto accenditur calor corporis: iisq; apertis dissipatur.

### XXXIX.

Quod si insensibilis transpiratio cesset, putrescent humores, sive

B

ab

ab aere frigido, præsertim si frigeamus, dum somnum capimus, sive à cibis crassis & viscosis, potissimum vero si corporis exercitium penitus intermitatur.

## XL.

Ultimo hoc adjicimus, ejus, quod transpiratur, duas esse partes, unam leviorem, quæ protinus avolat: alteram graviorem, quæ expulsa corpori adhæret, ac materies est pediculorum, & causa, cur una cubantes alter alterum inficiantur.

## XLII.

Nunc pedem promovemus ad causas, quæ vitam conservant, accidentales. Primus inter has Motus est. Nec de cordis, pulmonum vel cerebri motu proprio nunc loquimur, sed de motu s. exercitatione membrorum externorum, qui calorem internum ærat & imparet, torpem excitat, conantemq; misticè promovet, spiritus alacriores reddit, præstatq; ut concitatus & per omnes corporis partes means calor, quicquid humorum obhaesit noxiiorum, feliciter expellat.

## XLII.

Porro, cum exercitio calor sedibus suis, queis abstrusus erat, exeditus, ut dictum est, per universum corpus diffundatur, satius est, ut prandium vel coenam præcedat motus, quam consequatur. Sic enim ad centrum collectus, nec opero siori motu interturbatus, aut ad exteriora vocatus, felicius multo concoctionem primam calor expediet.

## XLIII.

De tempore motus egimus. Proximum est, ut de modo exercitationum videamus. Nimirus motus resolvendo humores, quod utile est, simul consumit, siccitatatemq; senilem ante tempus accersit: exsiccando intestina obstructions parit: præsertim motus à cibo vehementer, interrupta ad concoquendum naturæ necessaria quiete efficit, ut etudi humores à venis rapiantur, atq; sic sensim copiosa morborum non levium materia colligatur.

## XLIV.

Tandem hoc quoq; non omittendum censemus, exercitio lassis & calefactis subitam mutationem esse cavendam atq; lapsum in alterum extremorum: abstinendumq; ab avidiore haustu potus frigidi, multo magis ab aqua gelida, quæ in ingens periculum Magnum Alexandrum conjecit. Diffusus enim calor, & subito frigore oppugnatus, non habet,

bet, qui se adversus conglobatam vim frigoris recte atq; ordinis tueatur.

XLV.

Dum motum diximus esse corpori salutarem, si moderatus sit, simul quietem interponendam esse & cessationem diximus. Nam Quod caries alterna requie, durabile non est.

XLVI.

Quietis, immo vitæ magna pars est somnus, quæ est inter accidentes causas secunda. Est enim somnus à Natura tributus animalibus, ut continua per diem operatione lassati spiritus introrsum se recipiente calore cùm quiescant, tum novi exhaustis sufficiantur. Cor enim acescensu spiritus exterioris roboratum melius novam spirituum vitalium copiam elaborat, qui postmodum ferantur in plexus illos venularum & arteriolarum in superioribus cerebri ventriculis, in quæs spiritus vitalis præparatur, ut fiat animalis, h. c. proximum sensus & motus instrumentum.

XLVII.

Unde patet, assūendum esse somnum non ad socordiam, sed ad medicinam. Nimius enim somnus in torporem dat calorem naturalem, animumq; simul & corpus prægravat. Censent Naturæ consulti, non futurum ex usu, si ultra octo horarum spatiū somnus corpori indulgeatur: iidem hoc quoq; monent, aliquo post cibum intervallo somnum capiendum esse, ne crudo adhuc cibo vis concoctrix tanquam pondere pressa succumbat.

XLVIII.

A somno pomeridiano præstat abstinere, ut motu mediodi excitatus calor rectius officium faciat: attamen quibus motus per ætatem non convenit, ut infantibus, item, quibus caput amplius & ob orificium ventriculi laxius copia vaporum majore repletur, quam ut discutere alia ratione possint, quiq; matutinis corporis aut ingenij laboribus fatigati sunt, ut nisi somno prius se recolligant velut temulentii in officijs sui partibus oberrant, maximè si accedat consuetudo, ipsiq; summo somni desiderio teneantur, non dissident Naturæ periti, ut leviter ante commoti, sedentes, & non nihil in dextrum latus pronè inclinati (ne à splene materia adhuc crudior attrahatur) dimidiæ vel ad summum, integræ horæ spatium tribuant somno.

B 2

XLIX

## XLIX.

Deniq; Affectus, Tertia inter accidentales causa, quorum prima-  
ria sedes cor est, mirum, quam potenter ad conservandam vitam possint.  
Gaudium, quod cum cordis  $\alpha\gamma\sigma\alpha\lambda\gamma$  conjunctum est, si sit moderatum,  
spiritus sublimes reddit & erectos; Si nimis sit, spiritus attenuat, ac  
resolvit, ut destituto spiritibus corde præ nimia laetitia homines extin-  
ctos esse legamus. Idem de admiratione, quæ parere, gaudium solet,  
si in rebus homine dignis occupetur v. g. Naturæ contemplatione, di-  
cendum, ut non mirum sit, Philosophos quam plurimos diutissime  
vixisse. Laetitia indolem spes sequitur, futuris animum sustentans.

### L.

Contra dolor, qui est conjunctus cum cordis  $\alpha\gamma\sigma\alpha\lambda\gamma$  si gravis sit,  
spiritus versus cor agit, ibiq; stipat, & velut lento igne cor torret: non-  
nunquam subita vi suffocat & opprimit. Doloris rationem sequuntur  
metus, misericordia, pudor, invidia, quæ *Siculi non invenere Tyranni*  
*Tormentum maius*: quorum affectum comes est, corde, oculis & toto  
corpore macies atq; tabes.

### LI.

Ira vero, quæ est fevor sanguinis circa Cor atq; ebullitio qua ver-  
sus epar resurgitat, indeq; se exundat in vesiculam fellis hepatis adhæ-  
rentem, spiritum & humores perturbat: præsertim si comprimatur, nec  
fortis se pandere permittatur, spiritui multum nocumenti adferit.  
Quod de odio quoq; quæ est velut ira inverterata, dicendum videtur.

### LII.

Tantum de causis vita. Duratio ejus propter mutationes, quæ  
certis contingunt intervallis, in varias distinguitur ætates. Non pos-  
sumus, quin, quæ de septenariis habet ex mente Solonis Censorinus de  
die Natali cap. 14. hic apponamus. *Fere post septimum quemq; annum,*  
*inquit, articulos quosdam*  $\mathbb{G}$  *in his aliquid novi natura ostendit, nt*  $\mathbb{G}$  *in*  
*alegia Solonis, cuius initium est*  $\pi\alpha\mu\sigma\mu\tau\pi\beta\mathbb{G}$  *ἐών: cognoscere datur.*  
*Ait enim in prima hebdomade* (primis septem annis) *deutes homini cader-*  
*e, in secunda pubem apparere, in tertia barbam nasci, in quarta vires, in*  
*quinta mutinitatem ad floripem relinquendam, in sexta cupiditaribus*  
*temperari, in septima prudentiam linguamq; consummari, in octava ea-*  
*dem manere, in qua alij dixerunt oculos albescere, in nona omnia fieri lan-*  
*guidiora,*

guidiora, in decima hominem fieri morti maturum. Maximam vero mutationem fieri iidem dicunt, ubi duplicato numero, exacti sunt anni septies septen.

### LIII.

Aliorum opinio est, ut septimo quolibet anno corpus, ita nono quovis annos nostros variare: atque hoc in novenariis fieri, usque dum & hoc numero duplicato, hoc est novies novenis exactis, mens a se abeat. Unde Censorinus cap. scq. quales fuerunt, h. e. qui animi potius quam corporis curam gesserunt, non prius vita excedunt, quam ad annum illum octogesimum & unum pervenerint: in quo Plato finem vita & legitimum esse existimavit, & habuit legitimum. Hunc enim impleverat sine ulla deductione, cum moreretur.

### LIV.

De concursu septenarij & novenarii, audiatur iterum Censorinus: Itaque primum clima altera annum quadragesimum & nonum esse prodiderunt; Ultimum autem, octogesimum & unum; medium vero ex utroque permixtum, anno tercio & sexagesimo, quem vel hebdomades novem vel septem enneades conficiunt. Hunc licet quidam periculosisimum dicant, quod ad corpus & ad animū pertineat: ego tamen ceteris duco infirmiorem, nam utrumque, quidem supradictum continet numerum, seu neutrum quadratum: & ut ab utroque non est alienum, ita in neutro potens. Nec multos sanè, quos vetustas clavos nomine celebrat, hic annus absurfit. Aristotelum Sagittem reperio: sed hanc ferunt, naturalem stomachi infirmitatem, crebraque morbi corporis offensiones, adeò virtute animi diu sustentasse, ut, magnum irum sit, ad annos sexaginta tres enim vitam protulisse quam ultra non protulisse.

### LV.

Hactenus de Vita: nunc ad Mortem contendimus, quæ Vita dextra intellexit, obscura nemini esse potest. Mors enim vitae privatio, vel anima à corpore dissolutio est.

### LVI.

Causa mortis est nativi caloris extincio, humidiisque radicalis absuntio. Sed haec per partes magis diducenda sunt.

### LVII.

Nam extincio caloris primigenij duplex est: alia secundum naturam, alia violenta.

## LVIII.

Secundum naturam Mors est, cum completo tempore, quanto secundum naturam vivere poterat animans; calor naturalis contabescit non secus ac lucerna sua sponte languescens, ac tandem defectu pabuli cum crepitu exspirans.

## LIX.

Præter μάρτιον seu marcorem hinc Naturalem, aliis est Marcor violentus, prima species Mortis violentæ, quæ non est ab insito principio, sed ab externo.

## LX:

Quæ causæ supra dictæ sunt temperiem caloris & humidi conservare, si benè habeant, eadem, si vel deficiant vel male habent, in temperiem, atq; hinc Mortem adducunt.

## LXI.

Aer si attrahi nequeat, spiritus meatibus interclusis, eo quod necessaria refrigeratio negatur, duplicato calore mortem adfert: idem facit, si noxius sit, venenatus, calidus nimis, vel quocunq; modo inconveniens.

## LXII.

Alimentum si deficiat, plantæ juxta ac animalia enecantur. Quales sunt, qui fame, vel sanguinis profluvio pereunt. Quod si nimio cibo potuq; corpus oneratur, non huic tantum, sed animo quoq; maximum creatur damnum. Ebrietas ubi regnat, dicente Augustino, ratiō exsulat, consilia deviant, intellectus obtunditur, judicium subvertitur. Immoderatus potus in stomacho cruditates patit, quæ ad epa delatae vel aduruntur & in ἐλεφαντίας abeunt, vel obtundunt potentiam αἰγαλοηπικήν & aquosas humiditates progenerant. Demum in cerebro mala habitudo exoritur, unde phrenesis, lethargus, epilepsia, & obstructis noxio humore atq; moriscante nervis chiragra, podagra ebriosorum sunt stipendia. Virtus quoq; alimenti morbos & mortem accersi, experientia testatur.

## LXIII.

De excrementis res plana est. Nec historiam nunc adducimus Jacobi Rossæ Hispani, Nepotis Regis Portugallie, Eleci Archiepiscopi Ulyssiponensis, Diac. Cardinalis, qui Florentiæ gravi morbo implicitus

*Ne se pollueret, malus ille mori.*

Veneris

Venereis autem nepotibus illud Apuleji instillamus: *Cave, inquit, ne nimia melior dulcedine diutinam bilis amaritudinem coquarabas.*

#### LXIV.

De motu, quiete, somno, vigiliis, & affectibus nihil aldendum illis esse ducimus, quæ ante dilucide satis, & pro instituti nostri ratione tradita sunt.

#### LXV.

Superest altera species Mortis violentæ, quæ est *νεφέλη σβέσιν*, nec ferè aliter comparata est, quam extinctio ignis assusâ copiosius aqua vel oleo. Tum enim avolat ignis, cum corpus inflammatum amplius contingere non potest ob interpositionem corporis alieni: quod ipsum licet inflammabile sit, tamen vel ob copiam, vel quia aliis per minima mixtum est, ut inflammari nequeat prior flamma avolat, atq; ita nulla alia succedente ignis extinguitur.

#### LXVI.

Hujus generis est, quando homines in magno æstu potu gelidæ enecantur, item si per nives iter facientes in somnum labantur, aut si opio cicuta & similibus pharmaciis velut astuso frigore nativus calor extinguatur.

#### LXVII.

Hactenus de Morte quoq;. Plato, verba sunt Macrobij, duas assertit homini mortes: quarum unam natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur, cum anima corpus relinquit, solutum lege nature. Mori etiam dicitur, cum anima, adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras, Philosophia dicente, contemnit, & cupiditatum dulces insidias reliquasq; omnes exsuntur passiones. Hanc mortem dicic Plato sapientibus appetendam. Illam vero, quam omnibus natura constituit, cogi vel inferri vel accersiri vetat, docens, exspectandam esse naturam &c.

#### LXVIII.

Multis ea videtur terribilium omnium terribilissima. Verum enimvero horreant mortem, quos mundi exitibilis amor, desperatae salutis & inemendabiles Satanæ servos fecit, quorum nimis, ô dolor, ferox hoc seculum est: Nos, quorum Morti Christus se opposuit & impedit, quiq; gloriosum mortis Christi fructum in hac quoq; ærumbabili rerum facie sentimus, adeoq; reapse prodimus, nos esse Filios

DEI, nihil est, quod in hac mundi fece, teterimq; Vitiorum omnium, colluvie moretur.

VENI DOMINE JESU!

Veni Mortis Triumphantor! Inferorum pestis!

Veni Judex! Veni Redemptor!

## COROLLARIA.

- I. Due sunt hypotheses, quibus principia corporis generabilis superstruit Aristoteles lib. i. Φυσικῆς ἀρχῶν tex. ii. & 42. Prima est: Omnia Naturalia mutantur, Porro quicquid mutatur, in infinitum mutari nequit, sed est subsistendum in aliquo primo, in quo ultimo terminetur mutatio. Secunda est. Principia mutabilium sunt contraria. Ex quibus hypotheses nos inferimus, Quatuor Elementa Materiam primam omnium substantiarum Naturalium compositarum esse. Nam & in ea naturali resolutio ultimo terminatur: Et bac ipsa prima contraria sunt. Ignis aquae contrarius est respectu calorū: Terra aeri respectu siccitatis: Terra item igni respectu tenebrarum. Et hac sententia divine veritati consona est, sacris literis & primo quidem capite Genesios comprehensæ. Primum enim Terram & Aquam creatas esse dicit v. 2. Verum, cum Aqua principium frigoris sit, & si natura sua relinquatur, terram juxta secum perpetuo frigore atque gelu sit adstrictura, congelata vero prorsus inepta sit ad rerum productionem (semper autem vincit τὸ Βέλτιον εἶναι) addit Moses, Spiritum DEI, b. e. Spiritum Sanctum incubuisse aquis, videlicet, ut calefaceret aquas & in fluore retineret, atque tantisper, ne congelarentur, prohiberet, dum creatum esset Elementum Lucis s. Ignis, cuius nunc est penetratione sua ab aquis gelu arcere. Et hæc acta primo die. Secundo creatum est Quartum Elementum Aer, principium materiale subiens & replens, ne vacuum detur. Atque, ut hoc obiter addamus, videtur secundo die utraq; secretio aquarum facta esse, una superiorum ab inferioribus v. 6. & 7. altera inferiorum à tellure v. 9. & 10. ut sic secundus quoque dies commendetur ab operis bonitate, nec usitato Epiphonemate defraudetur. Initium autem v. 9. Et dixit, vertendum commodè est, Et dixerat, significatione Mosi usitata, ut patet ex cap. 2. in primis v. 7. 8. 9. II. Elementa quatuor differunt simplice Essentiâ. III. Cœlum sive campum sphaeres, sive, qua in eo sidera, elementali Nature esse, adeoque illum aërem purissimum, hæc ignea esse cum ex Scriptura auctoritate, tum manifesta ratione rix dubitandum relinquitur. IV. Primus homo ut natura fuit mutabili (creatura enim erat) ita natura potuit mori: adeoque non habuit impotentiam naturalem ad moriendum, sed potentiam gratias datam ad non moriendum.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729617386/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729617386/phys_0019)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729617386/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729617386/phys_0020)

DFG

bet, qui se adversus conglobatam vim frigoris recēde-

XLV.

Dum motum diximus esse corpori salutare  
simul quietem interponendam esse & cessationem  
Quod carēt alterna requie, durabile non est.

XLVI.

Quietis, immo vita magna pars est somnus, quae  
tales causas secunda. Est enim somnus à Natura  
ut continua per diem operatione lassati spiritus int  
calore cùm quiescant, tum novi exhaustis sufficiant  
cessu spiritus exterioris roboratum melius novam  
copiam elaborat, qui postmodum ferantur in ple  
& arteriolarum in superioribus cerebri ventriculis  
talis præparatur, ut fiat animalis, h. e. proximum  
instrumentum.

XLVII.

Unde patet, assūendum esse somnum non  
ad medicinam. Nimius enim somnus in torpo  
turealem, animumq; simul & corpus prægravat. C  
ulti, non futurum ex usu, si ultra octo horarum  
pori indulgeatur: iijdem hoc quoq; monent, aliqui  
vallo somnum capiendum esse, ne crudo adhuc  
tanquam pondere pressa succumbat.

XLVIII.

A somno pomeridiano præstat abstinere, ut  
tatus calor rectius officium faciat: attamen quib;  
non convenit, ut infantibus, item, quibus caput an  
ventriculi laxius copia vaporum majore repletur,  
alia ratione possint, quiq; matutinis corporis aut  
tigati sunt, ut nisi somno prius se recolligant vel  
sui partibus oberrant, maximè si accedat consuetud  
ni desiderio teneantur, non dissident Naturæ  
commoti, sedentes, & non nihil in dextrum latus  
splene materia adhuc crudior attitahatur) dimidi  
tegræ hotæ spatium tribuant somno.

B 2



the scale towards document

n, sed  
m na  
e con  
s cor  
inter  
ostrix

i exci  
tatem  
ficium  
ntere  
ous fa  
officij  
o som  
er antè  
i (ne à  
um, in

C1 B1 A1 C2 B2 A2 Patch Reference Chart T263 Serial No. 4+

Inch mm

http://purl.uni-rostock.de

DFG